mo hoc myſterio relegamus, 1. Κοινωνίαν *verbalem & titularem:* ut quoq; illam reiecimus ſuprà. Qualis enim unio, talis communicatio, iuxta regulam veterũ: quia igitur unio realis eſt, communicatio quoq; realis erit.

1. Non eſt verbalis ſive titularis.

13. *Deinde* reiicimus κοινωνίαν κατὰ μέθεξιν; quæ vel logica eſt, vel phyſica.

14. Κοινωνία κατὰ μέθεξιν logica eſt, quando id, quod dicitur μετέχειν, participare, recipit τοῦ μετεχομένου, ſeu eius, quo participat, definitionem. Hoc modo proprietates divinas carni communicabiles eſſe affirmare, Eutychianum eſt.

2. Non eſt κατὰ μέθεξιν λογικήν. Non κατὰ μέθεξιν φυσικήν.

15. Κοινωνία κατὰ μέθεξιν phyſica eſt, quando aliquid ex uno ſubiecto in aliud transfertur. Qui hoc modo idiomata divina humanitati communicata eſſe aſſerit, concedat oportet, divinas illas proprietates humanæ naturæ ſubiectivè inhærere: Quo porrò infertur idiomatum negatio, & naturarum exæquatio.

3. Non eſt κοινωνία accidentis numero unius per transfuſionem.

16. *Tertiò* reiicimus κοινωνίαν accidentis numero unius per effuſionem ſive transfuſionem; coincidit enim hic modus ferè cum præcedente, & ſequitur inde ἔκπτωσις, excidentia divinorum idiomatum, divinæ naturæ abolitio, carnis in divinitatem converſio, & neſcio quæ alia abſurdiſsima abſurda?

4. Non eſt κοινωνία accidentis numero diverſi.

17. *Quartò* reiicimus κοινωνίαν accidentis numero diverſi, genere verò & ſpecie unius: ut; Præceptor & diſcipulus unam ſpecie habent eruditionẽ, & quidem diſcipulus communicatam à Præceptore. Quo modo duplex omnipotentia, imò πολυθεότης, quæ ἀθεότης eſt, aſſeritur.

5. Non eſt κοινωνία proprij κατὰ σύγχυσιν τροπὴν, ἢ μεταβολήν.

18. *Quintò* non admittimus κοινωνίαν proprii κατὰ σύγχυσιν, τροπὴν, ἢ μεταβολήν: ex illâ enim commixtione, quid aliud, quàm Eutychëiſmus ſequeretur?

6. Non eſt προσωπική.

19. *Sextò* excludimus etiam κοινωνίαν προσωπικήν, quæ

renatis

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id367501635/9 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG